

quaesita proposuerit. Episcopus compatibilitatem officii guardiani et parochi in una persona impugnabat; ac deinde dubium proposuerat, qualisnam auctoritas ipsi competat circa approbationem praesentatorum ex parte superiorum provinciae.<sup>80</sup> Provincialis vero, post adductam demonstrationem suorum jurium, supplicat: confirmationem parochiarum sub respectivis conventibus divisarum, eisque adnexarum; modificationem decreti de a. 1750 in praejudicium provinciae lati; confirmationem officii guardiani et parochi simul; et ut Vicarius Apostolicus juxta jus hucusque vigens munus suum exerceat.<sup>81</sup>

S. Congregatio in speciali sessione totam quaestionem examinavit consultando priores decisiones sub episcopis ordinariis latae. Die vero 29 Decembris a. 1760 prodiit decretum,<sup>82</sup> quo illud decretum a. 1750 (secundum desideria provinciae) modificatur; agnoscitur guardiano jus insimul munus parochiale obeundi<sup>83</sup> ac demum, quod nostra magis interest, confirmatur vetus jus Franciscanorum ac totum regimen ad normas juris communis secundum decreta Tridentini, sicut prius erat sub episcopis ordinariis.

Etenim in puncto 4<sup>o</sup> decreti S. Congregatio agnovit catalogum parochiarum, quae exhibitae sunt uti inter respectivos conventus divisae ab ipsis dependentes et parochis provisae.<sup>84</sup> Puncto 7<sup>o</sup> renovat decisiones a. 1676 factas de nominatione, et praesentationes parochorum ad singulas parochias; necnon de iisdem examinandis et approbandis ex parte episcopi; ac insuper de remotione eorundem ex

<sup>80</sup> Archivum Prop., Congr. part. — Bosna othomana, 1760, v. 126 f. 15v—16v.

<sup>81</sup> Ibidem, f. 14r—15v.

<sup>82</sup> Decreti solum art. 1. et 2. edidit Occhievia, in Epitome vetustatum, 45—46; eundem ex parte publici juris fecit Florianus Nedić, Monumenta privilegiorum, 147—148; totum textum fideliter typis mandavit P. Jelenić, Izvori, 36—38 n. 26. Quare in decreto occurrat juxta nomen parochi etiam nomen *missionarius*, vel *parochia seu missio, coadjutor seu cathechista* — de rei genesi et significatione sermo redibit in ultimo capite ubi de sensu quo B. et H. terra missionum fuerint.

<sup>83</sup> Jelenić, Izvori, 37.

<sup>84</sup> Archivum Prop., Congr. part. — Bosna othomana, 1760, v. 126, f. 99v—104r.